

URBANUS PP. VIII.

Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem. Spirituali consolationi tuae quantum cum Domino possumus benigne consulere, teque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi qui ut asseris Dominus de Alcedo et loci de Villar de Frades iurisdictionem exercens Legionensis dioecesis Dominus in temporalibus existis, ut in privatis domorum tuarum tam civitatis Legionensis quam de Alcedo et Villar de Frades huiusmodi, oratoriis ad hoc decenter muro extructis et ornatis seu extruendis et ornandis ab omnibus domesticis usibus liberis per ordinarium loci prius visitandis et approbandis ac de ipsius ordinarii licentia eius arbitrio duratura unam missam pro unoquoque die, dummodo in eisdem domibus celebrandi licentia, quae adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcumque sacerdotem ab eodem ordinario approbatum saecularem seu de superiorum suorum licentia regularem, sine tamen quorumcumque iurium parochialium praeiudicio ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes et Nativitatis Domini nostri Iesu Christi aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in tua ac familiae tuae praesentia celebrari facere libere et licite possis et valeas, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod familiares servitiis tuis non necessarii ibidem missae interessentes ab obligatione audiendi missam in Ecclesia diebus festis de praecepto minime liberi censeantur. Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub Anulo Piscatoris Die xxj Augusti M.D.C.xxxvij Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.

[illegible]

…encia en forma para que se use deste breve por espacio de cinco meses que corran desde la fecha mientras se señala y situa lugar fixo para el oratorio y teniendole y siendo aprobado y visto por nos …ora aquien se cometieremos se dara licencia en mas amplia forma al pie desta. Dada y proveida por el Obispo mi señor en Leon a ocho de febrero de seiscientos y quarenta y ocho años.

Dilecto filio Petro de Quinones nobili Legionensi seu alterius civitatis vel dioecesis